



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Quòd spreto mundo, dulce est seruire Deo. X

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

*Matth. 19.
& Luc. 18.*

nia diuina charitas, & dilatat omnes animæ vires. Si rectè sapias, in me solo gaudebis, in me solo sperabis: quia nemo bonus, nisi solus Deus, qui est super omnia laudandus, & in omnibus benedicendus.

CAPVT X.

Quòd spreto mundo, dulce est seruire Deo.

- 1.** **N**unc iterum loquar Domine, & non flebo; dicam in auribus Dei mei, Domini mei, & regis mei, qui est in excelsis, *Psal. 30.* O quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te? Sed quid es amantibus? quid toto corde tibi seruientibus? Verè ineffabilis dulcedo contemplationis tuæ, quam largiris amantibus te. In hoc maximè ostendisti mihi dulcedinem charitatis tuæ, quia cum non essem, fecisti me; & cum errarem longè à te, reduxisti me, vt seruirem tibi; & præcepisti, vt diligam te. *Genes. 1.
Psal. 118. &
Matth. 15.*
- 2.** O fons amoris perpetui, quid dicam de te? Quomodo poterò tui obliuisci, qui mei dignatus es recordari, etiam postquam contabui & peri; Fecisti vltra omnem spem, misericordiam cum seruo tuo; & vltra omne meritum, gratiam & amicitiam exhibuisti. Quid retribuam tibi pro gratia ista? Non enim omnibus datum est, vt omnibus abdicatis seculo renuncient, & monasticam vitam assumant. Nunquid magnum est, vt tibi seruiam, cui omnis creatura seruire tenetur? Non magnum mihi videri debet seruire tibi: sed hoc potius magnum mihi & mirandum apparet, quòd tam pauperem & indignum dignaris in seruum recipere, & dilectis seruis tuis adunare. *Psal. 118.
Indit. 16.*
- 3.** Ecce omnia tua sunt, quæ habeo, & vnde tibi seruiò. Veruntamen vice versa, tu magis mihi seruis, quam ego tibi. Ecce caelum & terra, quæ in ministerium hominis creasti, præsto sunt; & faciunt quotidie, quæcumque mandasti. Et hoc parum est; quin etiam Angelos in ministerium hominis ordinasti. Transcendit autem hæc omnia, quòd tu ipse homini seruire dignatus es, & ipsum daturum ei promisti. *1. Cor. 4.
Psal. 90. &
Heb. 1.*
- 4.** Quid dabo tibi, pro omnibus istis millibus bonis? Vtinam possem tibi seruire cunctis diebus vitæ meæ. Vtinam vel vno die, dignum seruitium exhibere sufficerem. Verè tu es dignus omni seruitio, omni honore, & laude æterna. Verè Dominus meus es, & ego pauper seruus tuus; qui totis viribus teneor tibi seruire, nec vnquam in laudibus tuis debeo fastidire. Sic volo, sic desidero; & quicquid mihi deest, tu digneris supplere. Magnus honor, magna gloria tibi seruire, & omnia propter te contemnere. Habebunt enim gratiam magnam, qui sponte se subiecerint tuæ sanctissimæ

atissimæ seruituti. Inuenient suauissimam Spiritus sancti consolationem, qui pro amore tuo omnem carnalem abiecerint delectationem. Consequentur magnam mentis libertatem, qui arctam pro nomine tuo ingrediuntur viam, & omnem mundanani neglexerint curam.

5. O grata & iucunda Dei seruitus, qua homo veraciter efficitur liber & sanctus. O sacer status religiosi famulatus, qui hominem angelis reddit æqualem, Deo placabilem, dæmonibus terribilem, & cunctis fidelibus commendabilem. O amplectendum & semper optandum seruitium, quo summum promeretur bonum, & gaudium acquiritur sine fine mansurum.

CAPVT XI.

Quod desideria cordis examinanda sunt, & moderanda.

1. **F**ili, oportet te adhuc multa addiscere, quæ necdum bene didicisti. Quæ sunt hæc Domine? Vt desiderium tuum ponas totaliter secundum beneplacitum meum; & tuus ipsius amator non sis, sed meæ voluntatis cupidus æmulator. Desideria te sæpe accendunt, & vehementer impellunt; sed considera, an propter honorem meum, an propter tuum commodum magis mouearis. Si ego sum in causa, bene contentus eris, quomodocumque ordinauero: si autem de proprio quasitu aliquid latet, ecce hoc est, quod te impedit & grauat.

2. Caue ergo, ne nimium innitaris super desiderio præconcepto, me non consulto; ne fortè postea poeniteat aut displiceat, quod primò placuit, & quasi pro meliore zelasti. Non enim omnis affectio, quæ videtur bona, statim est sequenda: sed neque omnis cōtraria affectio, ad primum fugienda. Expedi interdum refrenatione vti, etiam in bonis studiis & desideriis; ne per importunitatem, mentis distractionem incurras, ne aliis per indisciplinationem scandalum generes; vel etiam per resistantiam aliorum, subito turberis & corruas.

3. Interdum verò oportet violentia vti, & viriliter appetitui sensitivo contraire; *b* nec aduertere, quid velit caro, & quid non velit; sed hoc magis satagere, vt subiecta sit etiam nolens spiritui: *c* Et tamdiu castigari debet, & cogi seruituti subesse; donec parata sit ad omnia, paucisque contentari discat, & simplicibus delectari, nec contra aliquid inconueniens musitare.